



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ars Semper Gaudendi**

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per  
Adventuales Conciones

Laetitiae Perfectae Artificium In Conscientiae Recta Efformatione  
inuentum, & per Adventuales Conciones expositum ac demonstratum

**Sarasa, Alfonsus Antonius de**

**Antverpiae, 1667**

§. II. Datur vltior ratio, cur animus reclamante Conscientiâ, humanis  
laudibus non acquiescat. Et ratio est, timor infamiae, si prodatur tectum  
scel  
us.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11367**

dent bonæ rei aut dement bonæ spei ? nihil quidquam. Conscientiam itaque meam attendo. Laudat illa me, sincerè in omnibus à me actum quòd sit, neminem dolo circumuenisse; neque carnis sapientiam sed Dei leges sectatum me; hæc mea fama est, hæc mea gloria. Neque hanc aliunde domum arcessere necesse est ei, cui ea domi nascitur.

11. Rursus non caret energiâ, quod Gloriam hanc, *nostram* Paulus appellet, id est suam. Quasi si dicat; externa illa quæ nos circumstrepit gloria, sanè aliena est; quæ uti datur, ita & eripitur pro hominum in diuersa abeuntium arbitrio aut libidine. At testimonium Conscientiæ, gloria sincera est, & quidem nostra, quia mihi inhæret; nec per hominum tantummodo ora circumuolitat, sed menti meæ prorsus infidet: nostra denique, quia obtentam ita possideo, ut nemo quisquam eam mihi possit extorquere, nisi egomet mihi, idque agendo perperam. Patet itaque quod Conscientia non tantum menti sufficiat, ut eam voluptate compleat; sed & aduersus debacchantium, & quieti suæ obstrepentium obarmet ora. Tanta enim eius est autoritas, ut non obtreçantium tantummodò, sed & laudantium voces interpeller, iisque fidem omnem prorsus adimat, suo calculo non confirmatam.

*item cur  
vocat Glo-  
riam suâ.*

§. II.

*Datur ceterior ratio cur animus, reclamante Conscientiâ,  
humanis laudibus non acquiescat, nec iis solidè delectetur.  
Et ratio est, timor infamie, si prodatur  
rectum scelus.*

12. **E**T ut quæ dicta sunt, accuratiùs demonstrantur; non abs re erit perpendere, unde tandem id eueniat, ut quamuis hominum, facta approbantium gratæ quantumuis voces, animum prurigine quâdam demulceant, numquam tamen componant aut oblectent penitus, si externis iudiciis Conscientia intercedat. Quid quòd, ut dixi, pudore magis suffundatur, quò major laus est, si indebita? Indaganda est vicissitudinis tantæ, quæ

E e e

demum

*Etiā eth-  
nicus, &  
nefarius  
stimulus  
conscientiā  
tangitur.*

demum in naturā sit, origo. Unde inquam ad falsas laudes tanta oboritur menti agitatio, & tam durus est animo Conscientiā cum externis iudiciis conflictus? Nam quod stimulus perurgens Conscientiā, re male actā, mens perferenscat, quæ rationes in extremo iudicio dandas, & à Conscientiā acerbissimè accusandam sese meminit; id quidem non miror ego: actorem suum metuit mens mali sibi conscientia: & claras publice accusaturi voces meritò expauescit, cuius tacitos morsus nunc experitur tam acerbos. Verum homo aut Ethnicus, aut quem futurorum cura non tangit, quid est quod tamen sceleris Conscientiā tantopere perurgeatur, & amarissimè perturbetur? Hic ego te jam conuenio, quisquis es impie, & contemptor Dei. Videbis tandem, quantum deceat Conscientiam reuereri, & ex eius præscripto viuere; quamuis nec humana curaret Deus, nec vlla esset futuri expectatio.

*Pessimus  
quisque  
scelera ce-  
let, saltem  
aliqua.*

Quod quidem vt ritè exponatur, non incommodum occurrit 13.  
Seneca. Stupendum est, inquit, Lucili, sceleratissimi quoque & perditissimi cuiusvis hominis, in occultandis flagitiis familiare studium. Nam utcumque impudentes sint; & apud sui similes ex perditā vitā commissisque sceleribus gloriam captantes inhonestam, ea impudico ore deblaterent; tamen alienis auribus non committunt omnia; quædam occultiora pudor supprimit, & reticentur. Unde manifestum est, aliqua semper in flagitiosissimo quoque, Conscientiā vellicantis animum, vestigia superesse. En Senecam. *Alioquin vt scias, inquit, subesse animis, etiam in pessima abductis, boni sensum; nec ignorari turpia sed negligi; omnes peccata dissimulant.* id est, tegunt, hominumque oculis conantur subducere. Igitur mali Conscientiā tanguntur improbi, hoc est, malum iudicant esse, quod egerint. Si enim rectum & bonum crederent quod patrarint, jam certè dissimulatione non esset opus: neque enim tegenda sunt tam ingenti curā, quæ bonus nemo, si bona sint, non laudauerit. Interim quem lapidem non mouet adulter, vt impudicos celet concubitus? & quid non agit vt lateat, injustus alienæ possessor rei? malè partis incubat, & ne deprehendatur, pertimescit omnia, imo & se. Eleganter Chry-  
fostomus: *omnia pauet, inquit, metuitque qui talis est umbras, parietes, ipsos lapides tanquam vocem emittentes. Omnia obseruat, omnes habet suspectos; famulos, vicinos, hostes, amicos, eos qui norunt,*

Sen. ep.  
97.

D. Chry-  
fost.

eos qui nihil norunt. Quid homini demum deest, aut quid sese suis suspicionibus miserum interimit? quid timide circumspicit omnia; & omnia, etiam tuta timet, cum tamen in occulto sint omnia?

14.  
Sap. 17.  
v. 11.  
Sap. 17.  
v. 10.

Sic est; sed omnes qui latet, se non latet. Conscientiam habet domi, sceleribus oblatrantem: hinc timet omnia, qui Conscientiam debet metuere. Quinimo ut præclare Sapiens, illa ipsa latendi sollicitudo, sceleris patrati est confessio. *Cum enim timida sit nequitia, inquit Sapiens, dat testimonium condemnationis suæ, id est, timore ipso se & prodit, & condemnat scelus; rationem subdit Sapiens, semper enim præsumit sua, perturbata Conscientia.* Verum præsumat sanè sua & atrocita, per me licet, istud tamen semper vrgeo, & quæro quid timeat? Deum certè non metuit, quem aut ignorat, aut habet despiciatui; æternis non angitur, de quibus nulla est cura. Quid ergo retormidat? *Testimonium condemnationis suæ, id est, propriæ, inquit Sapiens. Ast quid ex hoc testimonio feret incommodi? Quid? istud sanè grauissimum, quòd se videat, si iortè casu aliquo detegatur crimen, ab suâmet ipsâ Conscientiâ deserendum, neque vllum infamæ subeundæ ab eâ patrocinium expectandum esse: condemnationi quinimò & infamæ publicæ, tanquam sceleris debita, subscripturam.* Obijcit ergo scelerato homini ob os, crimina quantumcumque oblitterata silentio, posse euulgari; dedecus exinde oborturum pudoremque repræsentat: & tandem clarè enuntiat, dignum esse te infamiâ, & qui passim, pro enormitate criminis, apud probos omnes habearis contemptui. *Unicum hoc mentis tuæ iudicium, pacem omnem interpellat, efficitque ut modò etiam infamæ notam perhorrescas, quam tuis facinoribus tu ipse iudicas meritissimo jure deberi.* Atque hoc præterea habet immerita laus eximij, ut quò major tibi est apud hominès virtutis fama, eò grauior timeatur futura infamia, si, quæ famæ nunc non efficiunt occulta crimina, casu aliquo detegantur.

Conscientia obijcit sibi infamiam apud homines sustinendam; si scelus prodeat.

15.  
Sen. supra.

Ita est, inquit Seneca; *Idèd non prodest latere peccanti; quia latendi et si felicitatem habet, fiduciam non habet. Ita est: tuta scelera esse possunt, securâ non possunt.* Hinc est quod semper timet, quia, *semper præsumit sua perturbata Conscientia.* Præsumit enim & patitur modò pudorem, quò perfundendus esset vndique, si aliquan-

Summum tormentum Conscientia, est timor futura infamia.



do prodiret scelus. Et verò scire vis, quod tandem summum sit, quod à Conscientiâ infertur naturæ tormentum? Si rem non jam ex Fidei principijs, sed ex naturæ solius, Philosophorumque placitis expendimus; certè non alius est exquisitior scelesti hominis, sed famâ boni, cruciatus, quàm infamiæ incurrendæ timor. Calculum adjicit Seneca. *Prima & maxima, inquit, peccantium pœna est, peccasse. His consentiamus* (scilicet Epicuro) *mala facinora Conscientiâ flagellari.* Ita est, at quomodo? modum exponit. *Plurimum enim illi tormentorum esse, ed quòd perpetua illum sollicitudo urgeat ac verberet; quòd sponsoribus securitatis sue non potest credere. Hoc enim ipsum argumentum Epicuri est, naturâ nos à scelere abhorrevit, quòd nulli non, etiam inter tuta, timor est.*

Senec.  
Ep. 97.

*Male fidi-  
tur late-  
brarum  
sponsoribus.*

At quinam securitatis sunt sponsores, quibus tamen credi non posse asserit Philosophus? Certè, tenebræ sunt, secretus locus, temporis elapsi diuturnitas, hominum obliuio, fama optima: denique neminem commissum crimen aut scire, aut etiam scire posse. Sanè sponsoribus istis admodum facillè, sed & admodum temerariè fides datur. Vidimus enim abstrusissima quæque, & quæ memoriam omnem effugissè videbantur, emerissè tandem scelera; eaque leuissimis etiam indicijs venisse in propatulum. Sic est criminibus tegendis, nusquam & numquam tuta est fides. Deinde quantumcumque tibi persuadeas latère posse te, tamen timore incutiendo sufficit, quòd tacitus tibi fateâre, ingentem profus & intolerandum dolorem incutiendum animo, neque hominum ora laturum te, si quæ tanto studio tecta est, erubescendi materia in vulgus erumperet. Hoc saltem negare non potes. Times itaque; quantumcumque studeas, vt ne timeas. Atque hîc solus timor sufficit, vt viuas inquietus tui, suspicerisque ne propudia quibus implicaris, aliquando tandem, *decantet ab illice cornix*, aut ex rupe coruus loquax.

16.

*Conscientia  
exprobra-  
tiones secre-  
ta, faciunt  
vt etiam  
tuta time-  
antur.*

*Exprobra-  
tiones illa*

Duo in hanc rem, eaque admodum eximia effatur Seneca. *Multos, inquit, fortuna liberat pœnâ* (externo nimirum scelerum supplicio) *metu neminem. Quare? quia infixâ nobis eius rei auersatio est, quam natura damnauit. Ided numquam fides latendi fit, etiam latentibus; quia arguit illos Conscientia, & ipsos sibi ostendit.* Rectè. At quid quæso affert quò coarguat? Aliud profus nihil, quàm latentis criminis exprobrationem acerbissimam. Istud nimirum cum sarcasmo exquirat; an non te pudeat alium dici te, atque

17.

Sen. ibid.

arque alium esse? Per hominum ora volitas quasi vir probus, cum sis deterrimus; aut matronam honestam censent te atque oppidò pudicam, cum libidinis sis infame prostibulum: decipitur interim fama publica; & hoc tu nosti; & hoc fers? An non digna est tam propudiosa improbitas, tandem erumpere, vt ne diutiùs credulitate suâ deceptus orbis honorem deferat immerenti? Hæc atque his etiam grauiora sunt interna tormina, quibus animum Conscientia exercet identidem. His autem dum torquetur, omnia quæ foris allabuntur, habet suspecta, etiam vmbra timet: minimumque prætergradientis aspectum, si paullo sit ferocior, exprobrationem illico latentis criminis esse suspicatur. Sic nempe, qui hostem aut proditorem suum intra arcis mœnia latere Præfectus nouerit, omnia quæ aguntur foris, inimicorum esse retur stratagemata: minimumque strepitum, instantis sibi jamjam hostis fragorem iudicat: externa metuit, quia proditorem habet domi. Et quidem Conscientiæ negotium longè est acerbius: non enim occultas, sed apertas planè inimicitias gerit, & verò etiam præ se fert. Clarè enim edicit, proditorem moliri se: primus vt quis ingruerit qui rem aperiat, aut crimen qui impropere, aperturam sese illico portam infamiæ, accusantis partibus adhæsuram se; claraque criminis patrati notas, vt tergiuersationi non sit locus, tuæ fronti, quantumcumque sis effrons, inscripturam; vt te tandem tui dispudeat, qui nunc vultu mentiris quod non es. Quid hoc hoste infestius? quid hoc tormento crudelius? Et quod in hæc re est pessimum, neque hostem hunc domo datur expellere, neque exprobrantis obturare os, neque quæ objectat, in manu est aut negare, aut refellere.

*describuntur.*

*Nihil tutum est, ubi hostis domi est.*

*Hostem se scelerata mentis claret profitetur Conscientia.*

18. Egregium enim uerò naturæ inuentum! vt ipsa se coërceat, ipsa sibi frænum facit, & quidem ex seipsâ. Atque eccum Seneca effatum alterum. *Malè de nobis aeternum erat, quòd multa scelera legem & iudicem effugiant & scripta supplicia; nisi illa naturalia & grauiora de presentibus soluerent; & in locum patientiæ, ( id est suppliciorum ) timor cederet.* Passim vulgi ore circumfertur tritum istud, *dat veniam coruis, vexat censura columbas*: infortunatis furibus, scrutatorumque miseris direptoribus, neque supplicia neque cruces sufficere: interim magnis illis, honorumque titulo insignitis latronibus, qui Reipublicæ rimantur viscera; illis iniquiunt fora & compita, atque atria amplissima luxuriantibus,

*Timor quæ sibi facit Conscientia natura frænum est & supplicium.*

*supplicium hoc nemo euanidit quòd fortunatus, si sit sceleratus.*

nimis esse angusta : neque vlla sceleratis constituta esse supplicia, nisi iis tantum qui moderate & infeliciter sunt nefarij. Equidem audio isthac dicta vulgo dici : non tamen, vt vulgus assolent, credo omnia. Etenim, magno sane Diuinoque cautum est consilio, ne vlli desint supplicia, à timore incurrenda infamiae neminem exemptum esse. Quantumcumque ergo, sceleratorum poenis à Republica constitutis, quosdam feliciter vt videntur sceleratos, aut fors, aut fortuna, aut maiestas imperij, aut latenti felicitas eripuerit; infamiae tamen metui non subtrahit. Istud sceleratos sequitur tormentum prorsus inuitabile, quod Seneca paullo ante recensuerat, scilicet : *Timere semper & expauescere, & securitati diffidere.* Hoc ne Regibus quidem, super omnia, vt sibi videbantur euectis, datum est effugere. Aut si datum est iis nil timere, vt contigit nonnumquam tyrannis, quibus efferata scelerum libido humanitatem omnem detraxerat; certe temeraria scelerum fiducia, supplicium ijs summum fuit, & turpissima demum ruinae acceleranda initium. Plena sunt de his historiae; nullum in orbe regnum est, quod haec ignorat; quia nullum est omnino, quod exempla haec non vidit, & quidem plurima.

ne Regibus quidem.

David peccator latebras quaerit.

Juuerit tamen Dauidis, potentissimi quamuis regis, sed scelerum sibi tum conscius, ingentes metus cernere. Adulterio contaminatus thorax, & innocuo Vriæ sanguine cruentae manus, obrant oculos. Ultorem tamen non est quod timeat; nam regij throni sublimitas, humanae vindictae subtraxerat homicidam. Et tamen latebras quaerit fugitiuus, nec in imperia vocem explicat, dum vultus hominum exhorrescit. Audite meticulosi peccatoris trepida suspiria. *A voce gemitus mei, adhesit os meum carni meae:* en vt metus vocem intercludat? Fugitiuum videre vis? *Similis, inquit, factus sum pellicano solitudinis.* Rursus. *Factus sum sicut nycticorax in domicilio.* Iterum. *Virilani, & factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Deus bone! angulos quaerit vt lateat? Quid solitudinem suspirat? quid noctuae ad instar, tenebris se immergit & lucem fugit? quid denique in aula propria expauescit? En, is qui derecto vultu, & fronte explicata nullius sibi sceleris conscius dum esset, *Perambulabat in innocentia cordis sui, in medio domus suae,* is inquam, nunc desertis atrijs, tabulata conscendit, & in tecti commissuris latibulo quaerit locum. Quid ergo qui Rex est metuit? Rationem subdit, & totum Conscientiae explicat tormentum,

19.

Psal. 101.  
v. 6, 7, 8, 9.

Psal. 100.  
v. 2.

mentum: *Totâ die, inquit, exprobrabant mihi inimici mei; & qui lau-* amicorum  
*dabant me ( scilicet olim ) aduersum me jurabant.* Ita quidem Da- *aspectus,*  
 uid: Verùm quis id factum fuisse mihi facile persuaserit? Quis *crimnis*  
 inquam, & quidem totâ die; Principi adulterium exprobrare au- *exprobra-*  
 deat? quis, non dico ore regem coarguere, sed vel oculis notare *tionem sus-*  
 non exhorreat? Vana sunt hæc, & inania timoris deludibria & *piciatur.*  
 figmenta. Nemo Dauidi obloquitur, nemo obstreperit; & tamen  
 omnes timet; amicorum etiam oculis & placido aspectu pertur-  
 batur is, quem nec Goliathi feroces vultus, nec Saülis iræ per-  
 terruerant; motu amici capitis, dejicitur pectus regium, &  
 tantis hæctenùs impaudum malis. Exprobrant enim uerò ad-  
 ulteros concubitus, quotquot Dauidem intuentur; quia me-  
 ritò exprobrari posse, id ipsi imprimis insultabunda objicit Con-  
 scientia; eaque jam patitur, opprobrij quasi reipsâ impacti tor-  
 menta, dum scelestus est Dauid, quæ sibi ex merito toleranda ju-  
 dicat.

20. Sic nemo, ne Rex quidem, Conscientiæ suæ tormento subduci- *Timor in-*  
 tur: & quamuis scelus lateat, id tamen semper obuersatur animo, *famia, pa-*  
 & identidem semper recurrit, fieri posse vt res in apertum pro- *tibulum est*  
 deat. Hæc cura vocem occupat, hæc fauces perstringit, & laqueo *peccatoris,*  
 omni pejus, metuentis animam strangulat atque illidit. Quid illo *in laqueo*  
 crudelius est patibulo, in quo citra mortem dum quis pendet, *quo stran-*  
 semper moritur & numquam enforitur? Atqui hoc ipsum est sup- *gulatur.*  
 plicium, quod post omnia, quæ fusè enumerat, tamquam crude-  
 lissimum peccatori minatur Deus. Parum sibi dixisse videbatur,  
 nisi enumeratis cladibus, quas magno numero immissurum se re-  
 belli populo asserit, istud coronidis loco adderet: *Dabit tibi Do-*  
*minus cor pauidum, & deficientes oculos, animam consumptam mæ-*  
*rore. Et erit vita tua pendens ante te.* Duplex enim uerò supplicium;  
 vnum quod pendeas, alterum quod ante te; vt scilicet scias ipse  
 quæ pateris, neque supplicij bene meriti infamia, vllius, ne tuis  
 quidem oculis subtrahatur.

Deuter.  
28 v. 65.  
66.

21. Aut si Dei minas alio libeat modo exponere, *Et erit vita tua* *E filo pen-*  
*pendens ante te,* id sic intellige, quasi si dicat: Peccator, etiamsi *det scelerati*  
 homines passim lateas, tamen fama tua, quæ hominis honesti *fama.*  
 vita est, *erit pendens ante te*: etenim videbis à filo tantùm pendè-  
 re, quam inter homines boni viri existimationem obtines. Pen-  
 det à conuitiantis ore, pendet à suspicione etiam minimâ, pen-  
 det



det ab amici irâ subitâ , pender denique ab incerto euentu, nec tamen raro & inusitato , tota vitæ tuæ gloria. Pendula est itaque vita tua : & quæ sic pender vita , trahitur profecto miserè , non ducitur. Quid verò dum sic angeris, humanæ quæ te circumstrepunt , & non tam tibi quàm fortunæ tuæ adulantium voces iuuerint ? aut quid delectationis poterit aliena laus conferre , si istud semper pendeat ante te , Ecquid dicent homines , si quis sim resciant ?

*Futilis est  
laus huma-  
na nec de-  
lectat, cum  
ei Con-  
scientia  
opponitur.*

Hæc mecum dum meditatiùs expendo , tum verò me interrogo, an pro captandâ hominum gloriâ ; aut etiam curando corpore per enormem licentiam , aut denique an vniquam operæ pretium sit , Conscientiâ reclamante , vitiis indulgere ; cùm nullam mihi quietem ab eâ dandam non ignorem ; mediosque inter triumphos , & populi gestientis applausus, omnem mihi sciam bonæ famæ & gloriæ comparatæ dulcedinem subtrahendam, miscendamque felle amarissimo ? Ah miseri ! quàm parum id perpendimus ? & quæ perpendimus , quàm cautè dissimulamus ? Alterum hoc naturæ peruersæ malum est : miseri sumus & infelices ; & tamen miseri videri nolumus. Ridet sceleratus ille , ille sibi sui conscius ; & risu, animi vlcus tegit : tegitur vlcus, sed non sanatur : exedit quin imò vires animæ , quæ , dum foris rident ora , intus mœrore conficitur. Sanè non rarè personata eiusmodi felicitas , morte ipsâ longè est grauior. Certè vt truculentiùs puniretur Cain , pro morte vitam accepit , vt ex D. Ambrosio nuper vidimus , ne supplicium Timoris euaderet , & *ne mors auferret ærumnam.*

22.

Tract. 10.  
n. 22.

## §. III.

*Conscientiæ bonæ testimonio armatus, nullius hominis iudicium aut magni facit, aut etiam declinat. Contemnit autem peruersa de se iudicia.*

*Conscientia  
bona securitas.*

TRistiora nunc euasimus : caliginem inquam & nebulas , quas aduersantis humanis laudibus Conscientiæ tormentum, menti obducit. Iuuat tamen perturbationibus his interfuisse tantisper ; vt è nigris hisce nubibus , Conscientiæ boni sibi consciæ amenitas,

23.